



*Antiquâ generis profapia, virtute & ex-
perientia Nobilissimo ac strenuo*

VIRO

DN. HENRIC Oâ Zeorsdorff

Hæreditario in Tyscharnaw & Hypotheca-
cario præfectura Magdalensis, Mœcenati, promotō-
ri ac fautori suo nullo non honoris cultu
tatem prosequendo


Hanc Disputationem feudalem in debitam

*Animi gratitudinem ac
observantiam*

Dedicat, dicat, consecrat

*câ quâ per est
reverentiâ*

JOHAN: CASP. WIRTH.



Superioribus in Disputationibus
 egimus de feudi constitutione & acquisitione, nunc igitur quomodo & quibus modis iterum amittatur dispiciendum erit, siquidem illud hoc in passu, sicuti ceterae res quae hominum inventionem constant, non ab simile est, illis quas natura profert, sed pari cum his ratione & certis modis constituitur & certis iterum tollitur *Magnif. Nobilib. & Clarif. ICe. D. D. Aruma. incluta hujus Salan, Relt ac Ord. Cur. provinc. graviss. patron. Praecept. ac prom. in omn. honor. ac obedi. cult. avitern. profeq. disp. F. 7. 0 1.*

THESIS I.

Requiritur autem praecise in amissione rerum feudaliū, culpa vassalli, alioqui enim his, nisi casu aut voluntate sua hoc est facto proprio id fiat, uti infra audiemus, privari nequit *l. fin. d. pact. l. si post mortem 10. §. fin. d. honor. post. l. id quod nostr. ii. d. R. 7. 1. c. ff. de fidei. rem q. vend. evinc. cum in illis habent jus quae sitū, quod etiam Imperatoraliciū neque tacite neque expressē auferre potest *Luc. d. penn. in l. 2. C. d. h. q. in exil. dul. ne.**

II.

Ubi sciendum est, I. sub culpae nomine, dolum quoque hoc in loco venire *2. F. 26.* sumitur enim pro feloniam ita dicta à germanico vocabulo *Fehlen* quod errare, peccare, vel culpam committere significat *Rittersbus. in part. feud. 2. c. 9. q. 2.*
 II. non omnes culpae species in jure feudali expressas, sed quaedam iudicis arbitrio relictas esse, qui an causa aliqua iis quae definitae sunt, sit aequalis vel major aestimari debet *9. 11077 2. vers. sed quia natur. 2. F. 24.*

III.

Neutiquam tamen vera est sententia Doctorum qui statuunt, ob easdem causas, propter quas donatio revocatur, matrimonium dissolvitur & exheredatio concessa est, feudum amitti, neque hoc dicit *§. 2. vers. praedict. modo.* Sed tantum ostendit causas amissionis feudi quas recensuit & quae non duntaxat

taxat juris naturalis, sed etiam civilis convenire, eujusque rei argumentum esse, quod filij ex iisdem causis in constitutionibus civilibus exheredentur, matrimonium solvatur, donatio revocetur. *Magnif. D. D. Arum. Diss. 3. §. 27.*

IV.

Hiscæ præsuppositis, ordinis ratio postulat, ut I. ipsas culpe species propter quas vasallus pœnæ huic in feudo privati possit sit obnoxius, in quantum hoc sapere licet recenseamus. II. quomodo voluntate sua & casu id contingat consideremus. Prius autem ut magis perspicue fiat dividimus illas species, cum duplices sint & vel in omittendo vel in faciendo consistunt, in duas classes, quarum prima has quæ in committendo, altera verò illas quæ in omittendo consistunt comprehendit.

V.

Quæ igitur sub prima classe sunt & in faciendo consistunt, vel respectu domini vel respectu alterius fiunt: *argi. §. fin. 2. Fl. 24.* si respectu domini tum vel propriam illius personam, sive principaliter sive per consequentiam, vel rem ejus familiarem concernunt *argi. d. 1. prim. a. §. 2. Amplif. Excell. C. consuls. D. D. Ludw. præcept. ac patr. mde vos. solend. 17 a 3 feud. c. 17.*

VI.

Respectu ipsius domini & quidem directò vasallus culpam committit vel vitam ejus oppugnando vel famam lædendo *1. F. 6.* Vitam autem illius oppugnasse cenetur non tantum si necem vi armis aut veneno vel alias manus impias & violentas intulerit, sed etiam si insidias ei struxerit *§. 2. vers. porro 2. F. 24.* quod tamen non verum, si horum aliquid facere laboraverit saltem, sed postea pœnitentia ductus destiterit. *Curt. juv. tract. feud. part. 4. n. 34. pag. 331.* Nec obstat quod pœnitentia huic non videatur locus fuisse, si contra dominum quasi percussurus manum levaverit, & non percusserit: etenim cum illa ipsa videlicet levatio ex qualitate personæ domini admodum injuriosa sit & pro delicto consummato habetur, succedit per consequens illa vulgata juris regula, quod delicto consummato, nemo pœnitentia nocens esse debeat *L. 17. §. 1. d. editis edit.* & vasallus hac ex causa merito feudo privatur *argi. §. 2. vers. porro. sibi vel alias graves & inbonesas in iurias.*

Sed

VII.

Sed quod de interfectione domini statuimus non procedit, si vassallus eum cum moderamine inculpatae tutelae occidat, quia salutem illius propriae salutis non tenetur praepone-
 nere, propter vulgarem regulam quae vult, quod prima charitas incipiat à se ipso *argt. l. paras. d. c. d. servit. & aqu. ac fallit* insuper, si eum in adulterio uxoris suae adprehensum interficiat, ex eo fundamento, quia vassallus & dominius tenentur ad paritatem *unic. vers. domin. fin. 2. F. d.* hic verò si rem cum uxore illius habuerit reciprocam fidem violasse dicitur *S. quon. fin. 2. F. 57.* Nec argumentari licet ex *l. 38. § 9 ff. ad l. Jul. d. adult. à liberto ad vassillum*, si quidem nemo negare potest, id spem inter illos esse rationem, eum patronus respectu liberti ex nihilo aliquid faciat *l. quod accinet 32 d. R. 7.* non verò dominus respectu vassalli. *Magnif. D. D. Arum. d. l. 15.* unde ab his tanquam à diversis mala sit illatio.

VIII.

Item si cum inimicis domini amicitias suas copulaverit *e. si vassallus 2. F. 57.* modo non ex iusto metu, sed nocendi animo id fecerit, nam si priori modo, potest eximiri *argt. l. 6. ff. quod met. caus.* Probatio autè in dubio quo animo id factum sit, domino tanquam affirmantia dolum ac fraudem adfuisse, non verò vassallo qui negat hoc ipsum, incumbit, eum non Entis naturae sint qualitates *l. 2. d. probat.* ac ille qui amicitiam contrahit tanquam operam dans rei licitae in dolo versari non praesumatur *argt. l. 233. d. V. S. Magnif. Nolisib & Clarib. ICs. D. D. Arum. d. l. 10. & seq.* Nec huic repugnat quod aliqui qui amicitias suas eum inimicis suis copulari pro inimico meo habebatur *argt. l. 4. § 3 d. legat. l. 28. vers. si tamè C. d. inoff. testam.* Resp. enim praes. imputationem hanc contraria praesumptione fidei erga dominum est, nec vassillum qui domino ad fidem & servitium obstrictus est, facile quicquam in perniciem ejus molari existimandum esse; *Rosenthal. s. 10. conclus. 12. n. 13.*

IX.

Famam illius laesisse dicitur, si testimonium contra eum reddiderit *vers. similiter fin. 2. F. 33.* etenim tale testimonium,

propter debitam domino obedientiam & rēverēntiam, depō-
nere gravissimum est, adeo ut nemo facile ad id cogi possit: vi-
deatur *l. s. c. d. testib.* (ubi dicitur: testes adhiberi oportet, qui
omni gratia ut potentatus fidem religioni judiciaria debi-
tam possunt praeponere) imprimis propter juramentum à va-
sallo praestitum, cum illud instar juris habendum & veluti jus
semper sanctè servandum sit *argt. l. s. §. dato. ff. d. jurejur.* Ad
quod etiam referti posse videtur, si ex fraude & dolo, malè
contra dominum sive in causa criminali sive civili judicave-
rit, & sententia tanquam malè lata ex eisdem actis in causa
appellationis rescissa fuerit. *Curt. d. l. p. 4. n. 73.* vel alias graves
& inhonestas injurias ei intulerit. *§. 2. vers. porro. 2. F. 24.*

X.

Ac etiam si delator ejus extiterit *§. 2. vers. item si. F. 24.*
ubi non distinguimus inter causas criminales & civiles, sufficit
enim si per delationem istam dominum grave dispendium su-
stinere fecerit *d. §. 2. vers. item si.* Nec obstat. d. c. sciendum *§. 1. vers.*
Similiter 2. F. 33. verba enim illius non dispositivè sed narrati-
vè saltem proponuntur, per ea quae tradit *Curt. d. l. n. 65. ubi.* va-
sallus jurat in omnibus juvare dominum & in persona & in re-
bus *2. F. 6.* multò minus *l. 14. §. 4. d. non libere.* quae de hio patro-
ni loquitur, à quo ad vasallum semper argumentum firmum
duci non potest. *supr. §. 7. in fin.* ac quia vocabulum delatoris
commodè generaliter sumitur *l. 18. & l. 15. d. jure fisci.* utroq; casu
hoc verum est, puta, si ve accusaverit, si ve rem fisci eidem de-
nunciaverit. *Magnif. & Nobilib. I. Cr. D. D. Arum. a l. 8. 13.* nec re-
fert aliquid utrum per se an per alium id fecerit, aut pro accu-
satore quodam fidem suam interpoluerit. *Rittershuf. d. l. 1. s. 5.*
quas. 15.

XI.

Insuper ob hanc causam vasallus poenae subicitur licet
justè id fecerit *vers. similis. 2. F. 33.* nisi suam suorumq; injuriam
prosequutus fuerit *argt. l. 11. d. accusat.* Sive de crimine laesae
majestatis dominum accusaverit, nam hoc in casu liberi etiam
sine metu ex hereditationis parentes reos facere possunt. *Nov.*

115. c. 3. §. 3. aut impetrata abolitione ab accusatione desisterit

argt.

arg. l. 14. §. 3. d. bon. libert. modo id non ob defectum probationis factum fuerit *Curs. d. l. p. 4. n. 68* vel denique ex officio aut legis necessitate accusaverit, puta si fiscalis aut heres defuncti cuius necem vindicare necesse habet, fuerit. *Excellentiss. & consuls. D. D. Ludw d. l. 15.* Non obstat quod potestatem experiendi interdicto unde vi contra illum habeat *vers. si verò 2. F. 22* ibi si dominus malo ordine secundum intravis, quod fit per violentiam possit dominum accusare. Quia in tali casu dominus non potest conqueri de honore debito sibi non exhibito, cum factioris reus arguatur, ac frangenti fidem fides frangatur eidem. *Nobiliss. Cr. D. D. Arum. d. l. disp. 9. & 3.* Nec illud, quod Reip. interesse dicatur, ne delicta maneant impunita, mala enim ex eo fit conclusio, quod quis propterea accusare debeat & possit, cum etiam de jure civili certæ personæ ab accusando arceantur *l. 4. l. 8. cum seqq. d. accusat.*

XII.

Per consequentiam adversus illum peccasse dicitur, si eum cucturbitaverit *vers. item si fidel. 1. F. 5.* seu hoc facere se exerceat, licet non perseceat *arg. l. 1. d. extraordin. cognit.* quia & hoc modo dominus in signi injuria & contumelia afficitur. *6. est & princ. 2. F. 7.* non verò si saltem de eo cogitaverit & ad nullum actum turpem pervenerit *l. 65. d. furs.* item si literas amatorias uxori illius miserit, aut munusculorum illecebris pudicitiam ejus sollicitaverit vel cum ea turpiter lusit, aut luxuriosè (quod præsumitur si secretò id fiat) osculatus fuerit *1. F. 5.* Nec hac in re distinguimus inter vasallum Clericum & Laicum: factum enim est, quod nonnulli in Clerico benedictionis causa hoc factum esse interpretantur *Dd. & glos. in c. absit verb. sinistr. quest.* tum quia clerici fragilitati humanæ æq; ac alij subjacent *arg. l. 12. §. fin. d. accusat.* tum quia accessus illorum ad mulieres æq; ut aliorum suspectus & punibilis est. *l. 15. C. d. episcop. & Cler.* ac quæ jam dicta sunt, non tantum procedunt ratione uxoris, sed etiam (ac quidem tam respectu conatus sive exercitij concumbendi quam respectu lusus *Curs. d. l. p. 4. n. 25.*) in matre domini & sorore illius modo hæc in capitulo sic *Setzer. disp. f. 9. d. 4. l. 6.* cum plus sit stuprare quam occidere
soro-

Corarem domini, ad quod viris bonis metus iste major quam mors esse habeat *l. 8 §. 1 ff. q. met. caus. & nemo sic è viris generosis & illustribus, qui non æquiore animo ictum saxi in capite, quam plagam in fama sustineat Guevarr. in proem. ger. ad. D. Carol. 5. in borelog. princip.*

XIII.

Nec non ratione viduæ nam si illa per secundas nuptias marito defuncto gravem inferat injuriam *l. 2. C. d. secund. nupt.* sequitur quod mulco pl9 id fiat per hanc infamem libidinem; quoties verò vasallus in facto fuit, quo dominus in persona aliquam lesionem vel injuriam, vel contumeliam recipit, seu di amissionem mulatur *2. F. 7. §. 2. vers. porro 2. F. 24.* quod tamen nonnulli restringunt & locum saltem habere concedunt, si crimen hoc intra annum luctus commissum sit. *Borghold tract. f. c. 8. n. 29* verum quia vidua retinet jura & dignitatem mariti sui prædefuncti donec ad secundas nuptias convolaverit *l. 10. C. d. nupt. l. 2. §. 1. ff. admunicipal. l. 8 d. senat.* dubium non est, quod vasallus si eam stupraverit se feudo indignum, sine distinctione temporis hujus reddat, cum hoc modo contra juramentum præstitum faciat ut dominus honorem quem ante habuit amittat *2. F. 7.*

XIV.

Porro ratione sponsæ cujuscunq; hoc est si ve de præsentij si ve de futuro sit, quia nec matrimonium nec spem ejus violare licet, *l. 13. §. 3. ad l. Jul. d. adult.* ac extenduntur præterea ad stuprum commissum in filiam, neptem ex filio, (non verò ex filia, est enim inter hanc & illam maxima differentis, cum illa maneat, in potestate patris, non verò hæc *§. fin. inst. d. patr. potest.*) item nuptiam filio *vers. item si fidel. 1. F. 5. & 6. 1. a. §. 2. vers. rursum 2. F. 24.* Ubi tamen in fine a notate etiam debemus, quod sub turpi isto lulu locutio inhonesta non comprehendatur, cum vasallus si turpiter cum uxore domini locutus fuerit saltem aditione injuriarum teneatur *Zaf. part. 10. n. 8.*

XV.

Id verò non referte videtur, utrum consentientibus an verò injuriis hæc personis tale quid commissum fuerit à vasallo

argt.

*arg. l. 1. §. 1. de injur. ac vicissim utrum honestam aut luxuriosam vitam duxerint Curt. part. 4 n. 33. licet vasallus si per ignorantiam aliquam ex his personis stupraverit, puta personatam & meretriciam veste indutam l. 15. §. n. a. injur. aut volente & scienter, domino id fecerint, excusatus sit l. 1. §. 1. d. injur. sed quaeritur tandem hoc in loco, an vasallus etiam ratione concubinae dominum cucurbitare possit? Nos negamus, quia cum concubina de jure civili neq; uxor sit neq; sub uxoris appellatione continetur *arg. l. 17. in pr. ff. rer. amet. ad.* id quod de uxore expressè constitutum est, ad illam commodè extendi non potest.*

XVI.

Deinde occasione rerum (ubi non tantum feudum ipsum sed etiam munitiones & aliae possessiones in considerationem veniunt) iterum vel directe vel obliquè feloniam committi potest. Directè igitur aded ut feudo privari possit circa res domini vasallus peccasse videtur si feudum vel feudi partem, conditionem aut instrumentum illius ex certa scientia inficiatus & inde convictus fuerit *c. si de feud. §. vasall. si d. feud. 3. 2. F. 26. c. lex Corrad. §. 3. vers. si fuerit 2. F. 34.* puta tamen, testibus, numero quinque summæ atq; integre opinionis non jurejurando domini *c. si vasallus 2. F. 57.* nam si jurejurando domini feudum non perdit, quia in hoc casu abundè sufficit exonerari dominum probandi necessitate *arg. l. 30. d. jurejur. præterea si ex ignorantia hoc fecerit d. si d. feud. & c. lex Corrad. dd. u.* vel penitentiam postea ductus contumaciam antelitem contestatam dampna & expensas domino offerens purgaverit excusatur à pena *Gothofred in nor. d. c. 26. §. 3. l. 1. ac notandum est etiam, quod feudum non in totum si partem saltem illius negaverit, sed tantum proportionè inficiata amittat c. unic. si vasallus contr. const. Lotbar. 2. F. 38.*

XVII.

Rursus si vasallus feudum deterius reddiderit *c. cum d. re §. in contrario, c. 2. F. 8.* ubi tamen duo requiruntur nim. 1. ut deterio ratio ista dolo facta ac commissa sit, *d. c. prima a. §. 2. 2. F. 24. c. imperia l. §. 3. 2. F. 52. II.* ut notabilis & insignis sit, *c. Oberst. d. ori. ibi egregia ingratitude caus. 2. F. 23.* quod etiam in feudo empfilio procedit, nam licet hoc quoad precium datum, cum ex pacto id fiat, im proprium sit *supr. Diss. 2. d. 40.* tamen quoad ex-

vera omnia feodi feodi naturam retinet, ac id eò ex iisdem culpa,
ex quibus alia amittitur. *Rosenb. c. 2. conclus. 54. 59 & 61.*

XVIII.

Ut etiam si vassallus feudum novum sine consensu domini expresso vel etiam tacito, cum actum hunc contradicendo impedire possit, ac præterea agnatorum si antiquum id fuerit, alienaverit, eò alienat: 2. F. 39. & c. imperialem decet 2. F. 55. etenim propter hanc alienationem jure suo ira cadit, ut dominus nulla obstante præscriptione, etiã non oblato precio, nisi quis ignorans & bona fide id emerit, rei vindicationem habeat c. imperialem, vers. nos 4. 2. F. 55. quod ita locum obtinet licet malæ fidei emptor de evicitione interposita stipulatione, sibi caverit, cum contra legis prohibitionem feudum sciens emerit *Curt. d. p. 4. n. 119.* ac precium istud potius domino cuius persona à vassallo contempta est, quam fisco adjiciendum esse existimamus. *Rittersh. v. 3. q. 21.*

XIX.

Imò hæc alienatio firma non est, licet vassallus domini conditionem inde meliora verit, tùm quia per illam ratio hujus prohibitionis quam Feudista in contemptu ponit *il. c. prim. d. 2. F. 24. in fin.* non cessat, tùm quia nec ipse dominus tali in casu directum suum dominium sine voluntate vassalli alienare potest *c. lex Corrad. §. 1. 2. F. 34.* vel etiam illa ob magnam necessitatem, aut æris alieni solutionem facta sit *c. est 2. opt. 2. F. 9.* nisi dominus feudum assumere recusaverit *arg. l. fin. C. d. jur. i. ðphyrens.* adjuvatur tamen per id, si vassallus de jure domini protestatus fuerit. puta si hanc clausulam adjecerit: Salvo jure domini & non aliter *arg. l. 4. §. 1. quib. mod. pign. vel hypob. solv.* modo alienatio non in potentiolem facta sit, ex cujus manibus feudum facillè recuperare nequeat, eo enim in casu clausula ista, quia traditioni dolus in esse præsumitur, & protestatio facta contraria non relevat, pro non adjecta habetur *Rittersh. d. v. 3. q. 76. Zas. part. 10. n. 15.*

XX.

Præterquam ad eò prohibita est, ut non tantum venditor & emptor, qui tam illicitas alienationes reperti fuerunt, contraxisse, feudum amittant, sed etiam scriba qui hoc instrumen-

rum sciens conscripsit post amissionem officij cum infamia
periculo manum amittat *d. c. imperialem in princ. vers. callidis. 2.*
F. 55. quamvis quod possessio ex hac inutili alienatione tran-
seat, ac proinde possessori spoliato recuperandæ possessionis
remedium competat, manifestum sit *l. 1. §. dejicitur g. d. v. & vi*
armat.

XXI.

Hæc tamen non simpliciter vera sunt sed ita demum lo-
cum habent, si vassallus sciat rem alienatam esse feudalem, nã
si ignoret & allodiam sive rem propriam esse putet vel de eo
dubiter alienando feudum non amittit *c. si d. feud §. si vassal. 2.*
F. 26. & c. domino. 2. F. 42. modo ignorantia sit probabilis *l. 6. d.*
jur. & fact. ignor. quam tamen in dubio probare potest per ju-
ramentum *d. c. domino 2. F. 42.* nisi quædam præsumptiones sint
contra ipsum, quo in actu non permittitur ei hoc præstare
argt. c. item sciend. 2. F. 41.

XXII.

II. Si possessionem alteri tradiderit, neq; in continenti (ubi
quale temporis spacium requiratur, judicis arbitrio relinque-
dum est) eam recuperaverit *Curt. d. l. part. 4. n. 104.* sola enim
conventio de alienando non sufficit ad hoc ut vassallus feudo
suo privati queat, quoniam alienatum proprium non dicitur
quod adhuc in vendentis vel alterius dominio manet. *l. 67. d.*
V. S. Transfertur autem possessio, non tantum cum vassallus
rem ipsam emptori tradat, sed etiam cum ejus nomine se pos-
sidere constituat, quia etiam per constitutum possessorium, uti
Dd. vocent, vera transfertur possessio *l. 18. d. acquir. poss.*

XXIII.

III. Si dominus post alienationem quod feudum in com-
missum cecidisse velit declaraverit *Curt. part. 4. n. 156.* injuria n.
si non statim ad animã revocetur, dissimulatione abolita
censetur *§. fin. in §. d. injur.* nisi dominus iguoraverit & tempus
ad animum hanc injuriam revocandi nõ habuerit, puta mor-
te vel propria vel vassalli præventus, hoc enim in casu nihilo-
minus tam dominus ab heredibus vassalli, quam hæredes do-
mini ab ipso vassallo feudum avocare possunt. *Clar. quest. 64. n.*
7. in fin.

XXIV.

IV. Nisi specialiter feudum tali pacto sit concessum, ut va-
sallus

fallus possit de eo facere quicquid velit. das er sol machet habet
 nicht allein solch Lehen einen andern wieder in feudum, zugubent
 sondern auch dasselbe seines gefallens vnd ohne sonderliche neue
 bewilligung des Lehenherrns / zu versehen / zu verspenden / Gelde
 daruff zu nehmen / dasselbe zu verkauffen vnd zu vergeben / vnd das
 der Lehenherr deme welchen er als Lehenman solch Lehen zuwen-
 det ohne einstege etn vnd widerrede leihen wolle. *Math. d. Affir.*
in c feud. ea les. col. 3. n. 29. vers. isam cum cons. Ubi tamen notan-
 dum venit, quod vasally propter pactum istud adjectum, feu-
 dum ad personas in capaces nimirum foeminas transferre non
 possit, quia tacite in se continet hanc clausulam: Secundum
 jus & consuetudinem feudi: non enim verisimile est, dominu
 ejusmodi gratiam vasallo facientem tali pacto totam obser-
 vationem feudorum evertere voluisse *arg. l. si q. 35. C. d. inoff. te-*
stiam ad quod facit regula generalis de feudis degenerantibus,
 in qua traditur quod feudum degenerans in uno nihilominus
 in ceteris maneat feudum *c. unie. 2. F. 48.* Neq; obstat quod ver-
 ba & maxime ejusmodi pacta in contractibus apposita sem-
 per debeant aliquid operari *l. si qn. 20. in princ. d. leg. 2. cum suffi-*
ciat quod vigore hujus pacti potestatem obligandi & alienan-
 di feudum liberè & irrequisito domino habeat, etiã si ad dire-
 ctum dominium deteriorẽ efficeret, quod omnino fieret si
 feudum istis personis, quæ ad servitia præstanda non sunt ido-
 nez concederetur. *Witteberg. in quod cons. ad requisit Georg. Duc.*
Lignens.

XXV.

Quod verò de necessaria consensus adhibitione dictum
 fuit non saltem locum obtinet in titulo distractionis quo res
 tota transfertur, puta venditionis, donationis, sed etiam quia
 verbum alienationis in nostra materia latissimè patet *c. impe-*
rial. 2. F. 52. in illis in quibus pars duntaxat aliqua aut jus jure
 conceditur, uti fit in oppignoratione, sub quâ tamen hypo-
 thecæ datio non comprehenditur, nam quod venditio vel alia
 conventio de feudo alienando sine possessionis translatione
 vasallo non noceat *supra 0. 24.* traditum fuit. Nec huic repu-
 gnat quod ipsa hypothecæ obligatio prohibita sit *arg. l. ult. c.*
d. reb.

Reb. alien. non alien. si quidem à diversis mala fructuatio, maxime autem hæc duo diversa sunt, eam prohibitam & ob id invalidam esse, & vasallum propterea feudo privari, cum hoc ita demum fiat, si vasallus in aliam possessionem transulerit, *Resent. d. l. c. 9. conclus. 14.*

XXVI.

Deinde extenditur id etiam ad usum fructum, quia in hujus constitutione vera est alienatio, non quidem respectu ipsius rei in qua constituitur, sed respectu juris quod usufructuarius accipit *Magnific. Nobiliss. & Clariss. Cr. D. D. Arum. d. l. d. 3.* Nec obstat. *c. unic. d. re aliena. vers. quid ergo 2. F. 3.* distinguimus enim inter servitutes personales & reales *Magnific. & Nobiliss. D. Arum. d. l.* Sed an hoc etiam obtineat in locatione longi temporis? Nos negamus, tum quia per locationem neque dominium. *l. 30. ff. locat. neque possessio transire solet l. 10. §. 3. d. acquir. poss. tum denique quia nec locatio in longum tempus quicquam præjudicat domino, cum vasallus mercedem percipiat, proindeque ad servitia præstanda nihilominus habilis sit & idoneus *Atverth. in c. imper. n. 17.**

XXVII.

Diximus supra sub rebus etiam munitiones & alias possessiones comprehendi; circa has igitur vasallus feloniam fecisse existimatur, si domino in hisce rebus danimum dederit, puta si sciens vicum in quo dominus vel domina est, assalierit & per vim aggressus fuerit *c. quia supra in princ. vers. similiter 1. F. §. d. c. prima 4. §. 2. vers. porro 2. F. 24.* sive alij oppugnantibus consilium & opem ad id præstiterit *d. c. est & alia vers. ego juro. 2. F. 7. arg. §. ij. inst. d. furt.* etenim si feudo cadere debeat, qui contra voluntatem domini feudum ab alienat, & quod consequens est, dominum tantum contemnit *d. c. prim. 4. §. fin. in fin. 2. F. 24.* quanto magis feudo privabitur, qui prædia illius obsidione cingit, cum hoc in casu & animum offendendi habeat, quod sanè gravius delictum est, quam contemptus, prout tradunt *Fendista in c. vasalli feudum 2. F. 3.* ad eò ut vasallo etiam si feudum refutaverit, in memoriam pristini domini, dominum offendere prohibitum sit *c. si vasallus in fin. 2. F. 38.* ac nihil referat

utrum castrum illud totum domini fuerit, an vero dominus
& vasallus id commune habuerint, quia nec socio permittum
est, quicquam facere in re communi invito socio l. 8, ff. d.
fery. urb. grad.

XXVIII.

Obliquè demum circa res domini vasallus culpam con-
traxisse fertur, si credentiam domini ad illius damnum scienter
manifestaverit c. sic capis an. 1. F. 17. hoc est, si aliquid de secre-
to quod ei manifesta verit sine licentia sua alteri panderit vel
per quod pandatur fecerit d. c. est & alia 2. F. 7. licet nullum
damnum reale inde subsecutum fuerit, quia nihilominus jura-
mentum præstitum violavit d. c. in epist. 2. F. 6. quod quoties fa-
ctum feudum rectè auferri posse censetur. *Magnific. Nobiliss. &
Clariss. 1 Ct. D. D. Arum. d. dist. 8. d. 23.*

XXIX.

Nunc ad illas species quæ non domini sed alterius perso-
nam respiciunt, inter has autem primum locum obtinet fra-
trucidium nimirum si fratrem suum vasallus d. c. prim. a. §. fin. vers.
si verb. 2. F. 24. aut nepotem ex fratre id est filium fratris occi-
derit c. quia supra vers. item si 1. F. 5. quod tamen communiter
Dd. verum esse asserunt, si indignum hoc facinus ab eo ad hoc,
ut totam hereditatem habeat, perpetratum sit, propter textum
expressum in c. si quis interfecerit 2. F. 37. ac hujus, cur hoc saltem
in casu procedere debeat, hæc dari posse videtur ratio, quia
scilicet dolo malo fecit fraticida ut possessionem nactus fue-
rit, argt. l. 20. 10. 3. §. 12. & §. 13. d. v. & v. arm. ibi domino datur inter-
dictum adversus eum, qui dolo malo fecit, ut colonus vel usufructua-
rius desectus fuerit. Nec obstat, quod d. c. prim. a. simpliciter lo-
quatur, quia textus cum textibus sunt conjungendi & semper
ponendi sunt termini habiles. Dissidentes vide allegatos
penes *Magnific. Nobiliss. & Clariss. 1 Ct. D. D. Arum. d. l. d. 10.* ubi qua-
ritur tandem, an vasallus feudum etiam perdat, si fratrem do-
mini interfecerit? quod negandum est per d. c. si quis interfec. 2.
F. 37.

XXX.

Medium locum obtinet proditio hominis c. si quis 2. F.
37. per hominem autem intelligimus quemvis extraneum,
quia

quia proditor fide à quo feudum dicitur *c. invest. §. in fin. 2. F. 3.* prorsus caret, *Curr. d. part. 4. n. 34.* ac in curia domini comparere prohibetur *d. c. signis 2. F. 37.* nec vox illius audiri debet *can. 3. c. 2. quast. 9.* ac nequaquam audiendi sunt illi, qui dicunt, quod in convasallo proditoriè occiso tantum delinquatur circa feudum, ut pote cum dominus fideli suo privetur & servitijs defraudetur, & proditorem propter infamiam ab omni feudo excludi negant, interpretantes verba *d. c. 37.* ut in curia amplius stare non possit, non de proditore sed de ipso prodito, qui hac ratione vita privatus est & vasallus esse desijt. Siquidem, stante hac sententia sequeretur quod privatio feudi ob proditionem fieri non posset, nisi proditus convasallus & simul interfectus fuisset, quod affirmare perquam absurdum esset propter textum *d. c. causas in jure can.* ad quod in casu in jure feudali non expresso vel dubio recurrere debemus, nec verum est, quod pro sua sententia *ex d. c. prima §. 2. vers. illud enim*, proferrant, solam honoris amissionem non esse causam amittendi feuda: cum Feudista hoc non univertaliter affirmet, sed saltem velit, quod non ex omni causa ex qua opinio valah gravatus beneficium amittatur.

XXXI.

Tertium & ultimum crimen læsæ majestatis *c. falices vers. si qua verò d. pen. in d. arg. l. 5. §. 1. C. ad l. In l. majest. Alverot.* tamò in *c. quia supr. §. item si fidel. quib. mod. feud. amitt.* & alij adjiciunt crimen adulteri verum illud causam amittendi feuda esse nos cum *Curr. d. part. 4. n. 40.* simpliciter negamus, hoc enim in *regalia 2. F. 56.* quod adducunt, non habetur cum illud loquatur saltem de confiscatione bonorum ipsius delinquentis, quæ duo, scilicet quod ex aliquo crimine publicentur bona, & tamen non possit agi civiliter ad privationem feudi, sibi invicem non repugnant *Curr. d. l.*

XXXII.

Quæ sub secunda classe comprehenduntur & in omittendo consistunt, iterum vel vitam seu incolumitatem domini vel res & jura ejus respiciunt. Vitam verò & incolumitatem domini neglexisse censetur vasallus, si aliquem contra

domi-

dominum assaltum, vel mortem, vel captivum aut aliam
grandem jacturam molientem facere præseverit, id ex dolo &
negligentia quam citius potuit, vi non indicaverit *d. c. eff. & a-*
lia 2. F. 7. d. c. prim. 4. §. 2. vers. pruterea 2. F. 24. aut illum sine culpa
in carcerem detrusum modo potuerit, quia carcer est mala
mansio *l. 15. §. 4. d. injur. non liberaverit d. c. prim. 4. §. 2. vers.*
item si dalar.

XXXIII.

Item si dominum campestre prælium habentem ac mo-
rantem in ipso prælio dimiserit non mortuum nec ad mortē
vulneratum *d. c. quia supr. 1. F. 6. d. c. prim. 4. §. 2. 2. 24.* licet per er-
rorem illum ita læsum fuisse existimaverit, nec desertio ista ei
quicquam nocuerit *arg. c. prim. 4. d. l. ubi nō dolo tantum sed*
etiam culpa vasalli puniatur, aut is, pœnitentia postea ductus
statim reversus fuerit Curt. d. 1. n. 12. motus arg. l. 65. ff. d. furt.
modo prælium justum fuerit, nam si injuste id suscepit, seu-
dum non perdit, etiam si eum adjuvare noluerit intellige tamē
ad offendendum, siquidem ad defensionem ejus illum etiam
adjuvare tenetur, cum palam sit quod irrationabiliter guer-
ram faciet *c. domino puerri 2. F. 28.* nec vasallus propter mem-
bra rupta *Curt. d. l. n. 11.* aut manifestum vitæ suæ periculum do-
minū deserere coactus fuerit *Magnif. & Nobil. 1. Ct. D. D. Arum.*
d. l. 2. & vasallus aliqui nisi adsint hæc impedimenta domi-
no succurrere tenetur, etiam si pater illius sit qui guerram cum
eo habeat, propter textum expressum *in d. c. dom. guerram §. fin.*
2. F. 28. intellige tamen si parens aliquid contra Remp. molien-
tur vel ad patriam delendam veniat, *l. 35. d. relig. & sumpt. fueri.*

XXXIV.

Hic autem quaeritur, I. an etiam vasallus teneatur, opem
ferre domino cōtra superiorem, h. c. Imperatorem seu regem
vel antiquiorem dominum? Negativam sententiam nemo
nisi Choræbo sit stultior veram esse ibi officias, nam licet feuda
observitia in bello præstanda plærumq; concedi soleant *d. c.*
quia supr. in princ. 1. 2. F. 5. vasallus quoq; ratione jurisjurandi &
fidelitatis præstitæ domino contra ad varios consilium &
auxilium præstare teneatur, dummodo de fidelitate ejus sal-

vus esse & beneficio dignus videri velit *l. 1. de form. fidel. C. d. nov. form. fidel. & alijs feudi justissima amittendi causa sit, si id ipsum propter quod beneficium concessum est, servitium. Vasallus detrectetur d. c. prima §. 2. verl. sed non est alia justior 2. F. 24. quia grave est fidem fallere l. 1. d. pact. l. 1. d. const. pec. & preceptum Domini Vasallū excusare quodammodo videatur art. l. 11. §. 4. & l. seq. 12. d. h. q. rit. infam. l. just. ii, d. acquir. vel amitt. poss. tamen ē contrariō vulgata & justissima est juris regula: in omni juramento, exceptam videri supremi magistratus auctoritatem c. venientes 19. X. de jurejur. c. imperialem. §. 1. in fin. 2. F. 55. ac quamvis hæc exceptio non nominatim juramento expressa inveniatur, tamen semper subintelligitur & tacite ei inest *prin. 2. F. 28.* quapropter, quia illa quæ virtualiter in Scriptura continentur, etiam si scripto comprehensa non sint, scripta intelligi debent *Matth. d. Affl. in d. c. imper. 2. F. 55.* hoc nos non movet. Deinde pro altero membro quæstionis facit quod Vasallus meus Dominum meum, quia primi beneficii causa ab illo profecta est, æq; ac me seu proximum suum Dominum diligere & observare debeat *arg. l. 12. §. 8. ff. mandat.* Nec obstat quod alioqui dicatur, quod vasallus mei vasalli, meus vasallus non sit *arg. l. 10. ff. pro soc. quia c. Domino Guarr. in §. fin.* expressè contractum dicit, jus verò cum semper certum & finitum sit *l. 2. d. jur. & fact. ignor. in controversiam vocandum aut argumentis agnoscendum non est, quod alias per textus manifestos liquidò constat l. 5. §. 6. ff. d. remilitari* liquidem in casibus incertis non in certis conjecturis locus est relictus. *l. 137. §. 2. in fin. d. V. O.**

XXXV.

II. An feuda ex hac causa, quod vasallus Domino adversus superiorem arma capientem, opem tulerit, amissa & postea in tertium alienata & translata per restitutionem supervenientem recuperentur. Nemlichen/wenn der Lehenmann wiederumb zu seinem vorigen Bestand / Würde vnd Besen/ Haab vnd Gütern/ so viel derer eingezogen/ vnd dem Fisco apphretet/ restituitet worden? Negatur, I. quia is, qui a fisco emit, non debet negocium exhibere *l. 3. C. d. quapr. prescrip.* II. quia facta alienatione per contractum juris gentium, vel

Etiam aliquem naturalem uti in nostro casu puta per tradi-
tionem restitutio Principis postea interveniens jus alii hoc
modo acquisitum sine facto suo proptio, neq; exprelse, neq;
tacite auferte potest *super sb. 1. ac arge. l. 2. de Donat.* Neq; ob-
stat, quod alioqui dicatur: sicuti bonorum publicatio per se-
rerum omnium est spoliatio, ita restitutio bonorum ac digni-
tatis ejus nomine est recuperatio *l. fin. §. fin. d. sentent. pass.* Ve-
rum enim id saltem est, si nullus interveniat adus per quem
in quibusdam causis restitutio impediatur, ac non libenter
concedimus quod tunc contraria sententia sit vera, si acqui-
sitione facta immediate causam trahat ab ipsa condemna-
tione & delicto nullo pacto vel alio acquirentis facto inter-
veniente *l. 21. in princ. ff. d. jur. patr. l. fin. in princ. C. de sent.
pass.* nec dubium est, quod Imperator seu Princeps tale jus
per sententiam sive civiliter tantum acquisitum per restitutio-
nem auferte possit *Dd. in l. 25. in princ. ff. d. acquir. vel amitt. poss.*

XXXVI.

III. Quid juris sit, si duo sint fratres feudum commune
habentes, quorum unus Dominum deserat, alter verò strenuo
& fendant? Nos simpliciter vasallum desertorem feudo pri-
vari volumus, quia delicta non debent manere impunita *arge.
l. 51. ab l. aquil l. 22. C. de pœn.* nec rerum communio socium
ad delicti poena liberare debet *l. 45. l. 52. §. fin. pro soc.* quod ta-
men ratione civitatis feudum ab alio possidentis saltem
libenter fatemur, cum pars civitatis neq; delinquendo, neq;
contrahendo toti civitati præjudicare possit, *Curt. d. part. 2.
n. 19. arge. c. 9. X. de injur. arge. l. 6. §. 1. d. R. D.*

XXXVII.

Culpa quæ res ac jura ejus respicit & in omittendo con-
sistit facta cenetur, si vasallus à Domino in jus vocatus non
ierit *Rittersh. d. l. 2. c. 5. q. 3.* quod tamen non verum si vasal-
lus, orta controversia inter illum & Dominum de feudo, cor-
ram paribus eorum quos Dominus elegit comparere noluerit
z. F. 16. modo citatus hoc in casu, quia constat de jurisdictione
illorum, procuratorem suum in locum judicii cum excep-
tionibus suis declinaverit, licet quoad nullet in eos con-
sentire miserat *arge. d. c. 16. lib. 2. F. l. 131. ac quidem adje. d. h. ac*

Hæc clausula, nisi in quantum de jure teneretur, nam quoties opponenda est incompetencia judicis, roties addi debet hæc cautela. *Jasom. in l. cir prator. 2. princ. n. 18. d. jurejur. & indubitati juris est, quod ea, quæ ordinem & modum procedendi concernunt, coram quocunq; judice observari debent Canonist. c. q. Cleric. d. foro compet. II. Si intra legitimum tempus & diem & animum investituram petere sine justa causa distulerit d. c. prim. 4. 2. F. 24. III. Si Domino servitia pro feudo debita requisitus præstare, nulla justa causa impeditus, neglexerit c. sanimus 1. F. 21. d. c. prim. 4. vers. aliud est 2. F. 24. XXXVIII.*

Sed an vasallus si in præstatione annui canonis per triennium cessaverit feudum propterea amittat R. ? Nos affirmamus, modo requisitus à Domino fraudulentè hoc facere neglexerit *Rittersb. 2. cap. 4. q. 86. in fin. & feudum propter canonis præstationem concessum sit, quia secundum Feudistam nulla justior feudi amittendi causa est, quam si id propter quod feudum est datum vasallus non faciat d. c. prim. 4. vers. sed enim non alia. 2. F. 24*

XXXIX.

Deniq; sine culpa feudum amittitur, I. Si vasallus sine successoribus feudalibus mortuus fuerit c. est a. in princ. 2. F. 9. vel etiam hæc relicta, si feudum Cameræ, Cayenz, Guardiz, & Castaldiz habuerit, quia horum hæc est natura, ut ad heredes non transeant & Dominus ea elapso anno pro arbitrio revocare possit, ut *supr. in Diss. 2. aug. 10.* II. Si feudum interierit, nam posito eo quod jus sit in corpore *supr. Diss. 1. sublatò hoc & ipsum tolli necessariò sequitur arg. princ. inst. d. usufr. & l. 2. ff. cod. III. Si vasallus ad servitia præstanda, pura propter clericatum aut votum religionis assumptum inhabilis factus fuerit c. miles q. benef. 2. F. 21. equidem per substitutum æque idoneum servire non potest d. c. miles 2. F. 21. nisi. fortè à Domino id impetraverit *arg. c. si quis. 1. F. 24.* IV. Propter morbum supervenientem perpetuum sive naturalem sive accidentalem *arg. c. mutus. 2. F. 26.* V. Si feudum ad diem sive expressè sive tacitè concessum fuerit, & dies iste venerit c. item illud. 1. F. 2. VI. Si illud evictum fuerit, pura*

si vasallo de feudo litigante feudum ad alium pertinere iudicatum fuerit. *Rittersh. d. l. 2. c. 6. q. 12.* VII. Si vasallus bonis suis cesserit, quod tamen verum si Dominus consenserit, alioqui enim fructus tantum quos ex feudo vasallus percipere potuit conceduntur *arg. c. si consigeris. 2. F. 45.*

XL.

Quibus speciebus adduntur Dd. duas alias, nimirum subinfeudationem & refectionem. Subinfeudatio est actus, quo vasallus feudum quod habet, vel totum vel aliquam eius partem, alij in feudum legitime concedit, *c. investitura. §. 1. vers. per feud. 2. F. 3. d. c. est autem in princ. 2. F. 9. c. si d. feud. §. benefic. 2. F. 34* quae concessiones nonnullis dicuntur Excedentiae *Gorofred. Ars. Disp. feud. 9. d. 2* germanis *Affterbehnungen* & ipsa subfeuda *Affterleben Magnif. Nobilif. & Clarif. 3. Cr. Dn. D. Arum. d. l. Disp. 7. d. 16.* Legitime autem etiam consensu Domini, & eo usque quorum interest irrequisito fieri intelliguntur. *c. unic. vers. fin. verd. qual. olim feud. 2. F. 9. c. unic. vers. sed & 125. q. 3. fiat invest. 2. F. 3.* modo I. subinfeudans fraude careat, *d. c. unic. qual. olim 2. F. 9.* nec II. melioris sit conditionis quam subinfeudatus *d. c. si d. feud. §. benefic. 2. F. 36. ac d. c. leg. Corrad. 2. F. 34.* ac III. ei subisdem conditionibus quibus ipse tenuit concedat *d. c. lex Corrad. §. similis. vers. profellid. arg. l. 12. §. fin. d. us. fr. Job. Blanc. in epis. Feud. l. 1. c. 4. n. 9.* quibus observatis non tantum vasallo licita est subinfeudatio, sed etiam subvasallo in infinitum, ita tamen ut hoc in casu utriusque consensus adhibeatur, nimirum subinfeudatoris & Domini illius, quia uterque illorum respectu subvasalli est Dominus *Magnif. Nobilif. & Clarif. 1. Cr. Dn. D. Arum. d. Disp. 7. d. 19.* ac procedit tam in feudo novo quam in antiquo *d. c. lex Corrad. §. 2.* tam in seculari, quam in Ecclesiastico, quia textus allegatus non distinguit, item in feudo regali si totum subinfeudatur, non verò si pro parte cum divisionem non recipiat *d. c. imperial. §. firmiter. 2. F. 55.* Ratio est hoc concessum, si forte generali alienationis prohibitione ex ipsa subinfeudatione non rursus desumi potest, quoniam scilicet per subinfeudationem ius Domini de re non redditur, & qui antea fuit vasallus, vasallus esse non desinit, cui non obstat quod illa non

sub
ntus

cit (nam si gratis, mortem refutantis expectare cogitur, quia
 non interesse videretur an ipse an alius feudo fruatur) modo nō
 consenserit, quod factum censetur, si per annum à die scientiæ
 numerandum tacuerit, *c. est a ops §. i. vers. porro 2. F. 9. c. si d. feud.*
§. Titius. 2. F. 26. Illa secundum locum obtinet & sit vel descen-
 dentibus quos dominus investire cogitur, si ve novum si ve an-
 tiquum sit feudum, quoniam his utriusq; successio debetur *d.*
c. quid. v. asall. 2. F. 14. vel proximiori agnato si antiquum, non
 verò si novum sit feudum, quia ratione hujus agnati habent-
 tur pro extraneis, quibus refutatio fieri non potest, aded ut ne
 dominus vasallo volenti feudum antiquum extraneo refuta-
 re in præjudicium agnatorum consentire possit. *Magnific. No-*
bilib. & Clarib. I. Ct. D. D. Arum d. l. d. 21. 22. & seqq.

XLIII.

His itaq; positis, non immerito hic quaeritur, an dominus
 ex iisdem causis, ex quibus hæcenus vasallum, se feudo carere
 dignum monstrare posse diximus, dominium directum amittat?
 Aff. quia sibi invicem ad parem fidem & benevolentiam
 adstricti sunt *c. imper. §. fin. 2. F. 25.* vel uti Feudista loquitur
 dominus in his omnibus vicem fideli suo reddere debet
d. c. in epist. vers. dominus quog, 2. F. 6. ex quo in fertur etiam,
 quod, si pœna aliqua conventionalis in investitura compre-
 hensa sit ad quam agere debet vasallus si feloniam dominus
 committat, id extendendum quoq; sit ad vasallum delinquē-
 tem, ita ut neuter illorum ad feudi privationem seu pœnam
 legitimam sed tantum ad conventionalem agere possit. *Rit-*
tersh. 2. c. 7. q. 5. argt. d. c. in argt. vers. dominus quog, 2. F. 25. ac no-
 tariamandem circa hæc debet, quod non ipso jure propter has
 causas feudo cadant, sed tùm demum cum cognita causa sen-
 tentia declaratoria lata sit, *c. sancimus in princ. 1. F. 21. c. sancimus*
§. fin. 1. F. 22. c. si d. feud. §. vasallus si feud. 2. F. 26. Wesenb. d. feud.
pag. 245. nam singulis concedendum non est, quod publici per
 magistratum fieri potest, ne occasio majoris tumultus facian-
 da sit *l. 126. d. R. 7.*

XLIV.

Proxima verò huic quaestioni est illa, nimir. quibus, si fed-
 dum in commissum ceciderit, id applicari debeat? Circa hanc
 quaestio-

quæstionem considerandum ab initio venit, utrum ex culpa domini, an verò ex culpa vassalli vel sine culpa huius id factum sit; nam si ex culpa domini, tunc citra ullum respectum, puta siue feloniam in ipsum vassallum siue in alium commissa sit proprietas cum usufructu consolidatur & vassallus plenum dominium acquirit per textum in *c. si d. feud. §. duo commite. 2. V. 26.* alii ex culpa vassalli distinctione res expedienda est; siquidem hoc in casu feudum amissum tam novum quam antiquum ad dominum pertinet exclusis descendentibus & agnatis *d. c. prim. a. §. fin. 2. F. 24. d. c. imper. in fin. princ. 2. F. 25.* ac quidem siue simpliciter, siue pro se & liberis suis concessum sit *Rosenst. c. 11. consulas. 1.* modo si antiquum non ad verum alium quam dominum delictum commissum sit, nam si adversus alium tunc non ad dominum redit, sed exclusis descendentibus statim proximis agnatis acquiritur sicut quarto aut ulteriori gradu delinquent sit iunctus *d. c. prim. c. 4. fin. 2. F. 24.* Denique si sine culpa vassalli, puta vel propter clericatum, vel propter imperfectionem, quando scilicet mutus aut surdus factus fuit: proxi- casu feudum novum revertitur ad filios vel his deficientibus ad dominum; antiquum verò semper ad filios vel agnatos posteriori casu novum ad dominum exclusis filiis & agnatis antiquum verò ad filios & agnatos. *Rittersb. 2. c. 6. quæst. 26. Zaf. d. l. part. 10. n. 90.*

XLV.

Ex cuss. etiam hac quæstione ad quem ipsam feudum commissum pertineat, superest ut videamus, quid de fructibus & incrementis illius hoc in casu sciendum sit? Circa quæ duo, rependa videtur distinctio superior, utrum nimirum feudum sine culpa vassalli, vel ex culpa eius amissum sit; priori modo l. 2. tit. de fructuum heritorum distinguimus, quod si ante Martium amissum sit omnes fructus illius anni ex feudo provenientes ad dominum, si verò post calendas Martij ac in principio Augusti omnes ad heredes vassalli pertineant *d. c. dom. guerr. vers. hu. conseq. 2. F. 28.* II. ratione incrementorum, utrum incrementum ex facto vassalli aut sine illo accesserit, & si factum ejus, antea sit, quod per se subsistere nequit, ut servitus, an subsistere & separari possit, ut prædium; illud ad do-
minum

causam spectat, hoc ad vasallum & heredes ejus allodiales
(nisi propter conventionem ad positam quam feudi confor-
tationem appellant domino acquiratur) *c. cum d. re §. 1. 2. F. 8.*
et. d. c. domin. guerr. §. si vasall. 2. F. 28. posteriori modo non à tem-
pore culpæ, sed à tempore latæ sententiæ declaratorię fructus
& omnia incrementa domino vel agnatis ejus debentur *argt.*
l. 44. d. R. 7. quoad tamen quoad incrementa procedit si exi-
gua non verò si majora & præter legem contractus facti va-
salli acquisita fuerint *argt. l. pen. ff. loc. conduct.*

COROLLARIA EX JURE CANONICO.

desumpta.

Jus Canon. non ligat pontificem *argt. c. nulla 8. distinct.*
93. caus. 6. q. 3. c. deniq. 3.

2. Papa non potest ligare successorem *c. innotuit*
20. X. d. elect. & elect. pot. ibi. non potuit in hac parte
præjudicium generare.

3. Congregatio concilij non etiam ad Cardinales
sed ad solum pontificem spectat *c. submittitur distinct. 21.*

4. Usuræ jure Can simpliciter sunt damnata *c. quo-*
niam c. consuluit & s. t. X. & in 6. d. usur.

DEO SIT LAUS ET GLORIA

in sempiterna secula.

